



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Speculum Approbandorum Bipartitum

Unczovsky, Marianus

Coloniæ Agrippinæ, 1693

Quæstio XXV. An liceat dimidiare Confessionem pro casibus reservatis?
ubi præmittuntur aliquæ difficultates circa casus reservatos in genere.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37308

V. Cui ex his duab^o doctrinis adhaeres?
S. Posteriori quæ videtur probabilior.

QUÆSTIO XXV.

An liceat dimidiare Confessionem pro Casibus reservatis? ubi premittuntur aliquæ difficultates circà Casus reservatos in genere.

Vicar. Quid Casus quantum ad forum internum?

S. Idem quod lapsus animæ in statum peccati: sive idem ac peccatum, quod facit hominem à rectitudine virtutis cadere, hinc Theologicè idem est Casus reservat^o ac peccatum reservatum.
Sylv. ver, Casus n. I.

V. Quid datur intelligi per ly reservatum?

S. Hoc, quod hujusmodi delicti mortalis absolutionem Superior sibi ipsi reservet ad corrigendum illud suâ auctoritate, adeoq; si absolutio peccati adimatur inferiori Sacerdoti, hoc ipso peccatum seu Casus reservatus est. *Al-*
lo-



loza ex Navar. potest etiam sub nomine casus vel peccati reservati intelligi peccatum habens annexam Censuram reservatam.

V. Estne autem potestas seu Jurisdictio in Ecclesia peccata reservandi?
S. Esse potestatem exprimit Sac. Conc. Trid. Seff. i 4. Can. 7. & contra negantes hanc universaliter acceptatam Doctrinam sic statuit Seff. cit. Can. 11. Si quis dixerit Episcopos non habere ius reservandi sibi Casus, nisi quoad exterram Politiam, atq[ue] adeo casuum reservationem non prohibere quo minus Sacerdos à reservatis verè absolvat, Anathema sit. Proinde nimis imprudenter se opponnunt Hæretici moderni temporis: si enim in foro externo Princeps potest sibi suoque judicio gravissimas causas reservare, cur non poterit quoq[ue] Princeps Ecclesiasticus in foro Consciencie suo judicio & absolutioni delicta reservare atrociora, restringendo clavim Jurisdictionis specialiter extrâ ordinis.

dinationem tradi solitam prout in Do-
mino judicaverit expedire?

V. Ergo hujusmodi casuum reservatio
utilis erit in Ecclesia DEI?

S. Utilissima in finem servandæ Disci-
plinæ Christianæ prout exprimit cita-
tum *Sac. Conc.* hanc autem potestatem
reservandi ultrà summum Pontificem
& Episcopos habent quoq; Prælati, qui-
bus competit in Subditos sibi quasi E-
piscopalnis authoritas seu jurisdictione,
& Universaliter omnis Superior qui po-
test jurisdictionem delegare potest re-
servare.

V. Non dubito, quin sit aliqua diversi-
tas in conceptu Generico casuum re-
servatorum.

S. Omnipotenter, alij enim Casus dicuntur
reservati ab homine, alij à Jure.

V. Qui sunt reservati ab homine?

S. Qui à voluntate reservatis pendent,
& pro illius placito mutantur, minu-
untur, vel augentur.

V. Qui à jure?

S. III

S. Illi, qui per Generales Constitutio-
nes Pontificias perpetuò valituras, aut
per statuta Synodalia habentia regu-
lariter vim legis reservantur: priorum
reservatio finitur morte reservarum
posteriorum nequaquam, verum
diu lex durat, tam diu reservatio in illa
contenta.

V. Ergo mortuo Superiore v. g. Epi-
scopo tollitur casuum reservatio.

S. Tollitur illa, quam ipse posuit, sed
non ea, quæ est à Jure.

V. Si forte diceret, reservo hunc casum
donec aliud ordinaverò.

S. Expirabit morte illius, siquidem per
verba expressa sola monstratur volun-
tas, sic autem est, quod voluntas, fi-
niatur morte reservantis, igitur &c. Si
militer expirabit si dixerit, ad bene-
placitum nostrum, secùs, si diceret nobis
& nostra Sedi Episcopali vel Successoribus
nostris: nam tunc reservatio esset quasi
à Jure Navar. L. 22. N. 2. & 21. Suar. de
Penit. T. 4. Disp. 27. Sect. 4. Sanch. l. 8.
Disp. 28. de Matri. V.Pc.

V. Peto, an reservatio liget solum eos, qui erant Ordinario subditi, quando facta est, vel an etiam liget eos, qui postea fiunt subditi?

S. Dico ligare quoque illos, qui postea subditi fiunt, & ratio est: quia reservatio casuum quam facit sibi Episcopus est permodum legis Universalis adeoq; facit illud, quod alioquin faciunt leges Universales, obligando omnes tam praesentes quam absentes, tam subditos de praesenti, quam de futuro.

V. Proferantur conditiones ad reservationem necessariæ.

S. Apud diversos invenio sequentes: ut videlicet pro materia reservationis sit peccatum mortale, item ut sit grave, (adjiciunt aliqui *ly extra ordinariæ*) Item ut sit externum, certum plenè & perfectè opere consummatum; lego etiam apud quosdam (in ordine tamen ad aliqua peccata) ut sit publicum & notorium *Filiuc. de Sacrament.*
Tract. 7. c. 10. q. 2. n. 2. 72. Bonac. Disp.
5. Q. 7. p. 111c. 5. n. 3. §. 2.

V. Ad-



V. Adfers pro materia reservationis peccatum mortale, putasnè quòd venialia reservari non valeant?

S. Non puto reservari non posse, maximè illa, quæ gravioris mali periculum causare possent, & quidem non solum à Supremo Ecclesiæ Pastore, sed etiam Inferioribus ipso: quia verò finis reservationis in eis cessat, cùm per venialia, in quæ sàpè cadunt etiam justi, non labefactetur disciplina Christiana, id-circò rectè ac rationabiliter non reservantur: imò (ut advertit Bonac.) reservare venialia, esset laqueum ponere fidelibus.

V. Saltèm qui externè peccabit venialiter & internè mortaliter, censebitur incurrisse casum reservatum.

S. Nequaquam: reservatio enim ordinariè petit, ut sit peccatum mortale in ipsa actione externa; quare non incurrit casum reservatum Maritus, qui ex intentione procurandi abortum Uxorem leviter percuteret, aut ad
le-

levem iracundiam provocaret, nisi forte adverteret ac prævideret etiam ex tali percussione securum effectum.
U. Concessò quòd reservatio respiciat peccatum mortale, utquid adjicis grave?

S. Si reservarentur peccata mortalia, in quæ frequenter ob fragilitatem nostram cadere solemus, certè violaretur charitas, & ejusmodi reservatio potius esset in destructionem, quam in ædificationem: sanctè itaq; adhortatur serioque præcipit Sae. Congregatio, ut Ordinarij locorum atrociorum tantum & graviorum criminum absolutionem sibi reservent, nè alioquin coarctatâ potestate Ministrorum Sacramenti Pænitent. contrarius plementi Sanctæ Matris Ecclesiæ subsequatur effectus.

U. Si autem Episcopus aut aliis Superior etiam minora crimina vellet esse reservata?

S. Illicitè quidem faceret reservando
abs-



absque justa causa, reservatio tamen teneret.

V. Trahis ad reservationem peccatum *externum & certum*, igitur, qui forte centies Hæresim in animo volveret, non committeret peccatum reservatum.

S. Certum est, quod si reservationi subjacerent etiam peccata cogitationum, seu cordis occultissima, fideles innumerus (ut observant D.D.) angerentur scrupulis, maximisque premerentur angustijs, cum ejusmodi delicta sint de numero eorum in quæ frequenter & faciliter homines prorumpunt: quapropter sentio Hæreticum mentalem reservationem non incurrere, nisi forte non tantum externa sed etiam mentalis Hæresis (prout fieri potest) inter casus reservatos exprimeretur.

V. Putasne Hæreticum mentalem non incurrere primam excommunicacionem in Bulla Cœnæ?

S. Scio Ecclesiam non judicare actus mere mentales, unde si aliquando punit

nit actum internum Censurâ, non alter, quâm ut annexû habet aliquod opus externum, quod prohibetur, adeoque bene dicitur solum Deum esse ultorem peccatorum cordis.

V. Dixisti peccatū reservatum deberē esse certum, quid ergo sentis de eo qui putat se v.g. incestum secundi gradū committere cùm tamen sit simplex fornicatio, vel committit quidem incestum secundi gradū, nihilominus nescit esse incestum, sed arbitratur esse fornicationem.

S. Adverto in casu non committi incestum formalē, sed materialem duntaxat, quia verò incestus formalis tantum in gradu espresso reservari solet, ideoq; judico delinquentem reservationem non incurrere, utpotè non committentem peccatum mortale & externum in illa qualitate sub qua reservatur.

V. Afferuisti suprà peccatum reservatum deberē etiam esse publicum ac no-

sori-



gorium potestnè quoad hanc publicitatem aliqua certa assignari regula?
S. Sit pro regula prudens Confessarij judicium, tradunt tamen aliqui D.D. quòd si peccatum fiat in domo solitaria 10. Incolarum, tunc censendum sit notorium quando 6. sciunt: si in Pago 40. domorum, notorium esse, si sciunt 10. Incolæ diversarum domorum: si in Monasterio 20. plus minùs Religiosorum, notorium esse si 7. aut 8. sciant: si in Communitate 100. personarum notorium esse si 15. aut 20. sciant: si in civitate aliquot millium Incolarum, notorium esse si 30. aut 40. sciant. Observo hic etiam ex Navar. in Manu. c. 27. nn. 255. quòd ad hoc, nè delictum dicatur publicū, non sufficiat quòd actus, qui est; delictum sit publicus, nisi etiam publicē sciatur ipsum esse delictum; Missa enim dicta coram populo ab Excommunicato occulto, est actus publicus, &c est delictum, non tamen est delictum publicum,



cum, quia nescitur publicè sive à populo esse delictum; Ulterius observatur Delictum notorium & publicum alius esse facti, & aliud *Juris*, illud dicitur notorium notorietate facti, quod ob evidentiam facti, nullâ potest tergiversatione cælari, ut si fiat publice, hoc est in oculis omnium, vel majoris partis Universitatis vel Collegij &c. Notorium autem *juris* illud dicitur, quod constat vel ex spontanea confessione rei judicialiter facta, vel ex Sententia diffinitiva Judicis, quæ transivit in rem judicatum.

V. Approbo ut suprà dixisti, quod in hoc punto de publicit: Confessarij prudens judicium sit respiciendum & observandum, nunc quæro, an ad incurriendam reservationem sit necessaria illius notitia?

S. Refert Alloza ex Sanch. T. 3. de Matri. D. 32. & alijs quodis, qui scit hoc vel illud esse grave peccatum, ignorat tamen invincibiliter esse reservatum, reser.



servatione non teneatur, imò igno-
rantem etiam vincibiliter an casus re-
servatus sit? sive fuerit ignorantia ju-
ris, sive facti, posse absolvī; ego autem
dico, ad incurrendam reservationem
pœnalem (id est habentem annexam
censuram) utiq; requiri notitiam illi-
us, secūs ad medicinalem: hanc enim
incurrunt etiam ignorantēs, alioquin
homines rudes ac simplices habentes
casus reservatos, quorum inter mille
vix unus scit reservationem, possent à
suis casibus reservatis directè absolvī
à quocunq; simplici Confessario, quod
non est dicendum.

V. Ergo ignorantem invincibiliter re-
servationem & bonā fide confitentem
peccatum reservatum non absolveres
directè?

S. Non (suppositā carentiā potestatis ad
absolvendum etiam à reservatis) sed re-
mitterem ad alium Confessarium po-
tentem absolvere directè: quod si for-
tè adesset aliqua necessitas, aut alias

P diu

diu Pœnitens deberet carere absoluzione, tunc *indirectè* absolverem, cum onere comparendi coram Superiori vel ejus Delegato pro directa absoluzione, datâ commoditate: imò nec descendendo ad casus necessitatis, attenâ solâ ignorantia inculpabili, dum Pœnitens confitebitur reservatū, quod putavit non esse reservatum, illum *indirectè* & cum onere absolvam.

V. Ex hoc infero, quod Confessarius simplex seu inferior in aliquo casu necessitatis etiam extrâ articulum mortis poterit pœnitentem *indirectè* absolvere à reservatis, cum onere adeundi Superiorē, vel alium ab ipso delegatum pro directa absolutione à reservatis quamprimum opportunitas aderit.

S. Hanc doctrinam amplector.
V. Contrarium autem lego in Trid. Sess. 14. c. 7. ubi habetur: *cum extrâ articulum mortis Sacerdotes nihil possint in casibus reservatis, id unum Pœnitentiis persuaderet nitantur, ut ad Superio-*

761

res & legitimos Judices pro beneficio absolutionis accedant ; ergo nec indirectè licebit Sacerdoti inferiori absolvere Pœnitentem à reservatis extrà mortis articulum.

S. Loqnitur Sac. Concil. in cit. textu de potestate directa, non autem indirecta, atq; ità negat Sacerdotibus inferioribus potestatem absolvendi directam, non verò indirectam in casu alicujus magnæ necessitatis.

V. Assigna ergo aliquem casum necessitatis.

S. Posset esse casus, Primo si Sacerdos aliquis lapsus in reservata haberet necessitatem Celebrandi nec haberet copiam Sacerdotis habentis facultatem absolvendi à reservatis, vel ipiusmet Superioris, sed tantum alicujus Sacerdotis potentis absolvere à non reservatis: posset enim & deberet tali Sacerdoti confiteri, ut directè à non reservatis, & indirectè à reservatis absolvatur cum onere seu obligatione

P 2

ad-

adeundi datâ occasione Superiorem vel alium ab ipso delegatum pro directa à reservatis absolutione. Secundi posset esse casus tuendi famam, vitan di scandalum, aut servandi præceptum annuæ Confessionis, vel etiam vehemens desiderium communicandi in aliquo loco Sacro, quò Pœnitens de longinquō, voti, magnæq; dovolutionis causâ advenit, supositò, quòd protunc non pateat aditus ad Superiorem vel ejus Delegatum.

V. Hæc indirecta potestas seu jurisdictionio quam adducis videtur derogare reservationi.

S. Minimè, cùm maneat obligatio ad eundi Superiorem vel ejus Delegatum.

V. Nunquid sibi cōsulere posset Pœnitens recurrēdo ad actū Contritionis?

S. Recursus iste non esset absq; magna difficultate, cùm fragilitati humana nimis difficile sit actum Contritionis elicere, tutiùs necessitati Pœnitenti subvenitur per absolutionem Sacra-

men-



mentalem indirectam cum solo actu attritionis; eligendum ergo in via salutis illud quod tutius est.

V. Sit hoc medium tutius, attamen valde difficile est percipere, quomodo iurisdictio in non reservata sit sufficiens in casibus expressis ad remittenda etiam validè reservata indirectè.

S. Mihi videtur res valde facilis intellectu: nam si Jurisdictio in non reservata sufficit ad remittendum indirectè peccatum reservatum ex obliuione inculpabili omissum, aut reservatum existimatū non reservatum, aut etiā quodcunq; aliud in Confessione ex gravi & rationabili causa omissum, cur in prænominatis casibus non debet censeri sufficiens ad remittenda quoq; indirectè reservata, etiamsi cum non reservatis illa Pœnitens confiteatur? quare illi duntaxat, qui præsumunt directè absolvere etiam à reservatis incidenti pœnas expressas in decreto *Clementis Octavi à Paulo Quinto confirmati*, non



verò absolventes *indirectè* juxta regulas juris communis concedentis facultatem sic absolvendi à reservatis in casu necessitatis, cum onere se praestandi Superiori vel ejus Delegato pro absolutione directa.

V. Sit conclusum, quod simplex Confessarius, seu inferior possit in casibus necessitatis Pœnitentem absolvere i reservatis *indirectè*, & pro *directa* ab solutione remittere ad Superiorem, jam peto an etiam Superior possit ex aliqua urgenti causa audire peccata Pœnitentis solum reservata, & ab ijs absolvere, quoad reliqua verò Pœnitentem ad inferiorem Confessarium remittere?

S. Dico hanc dimidiationem urgente necessitate fieri posse.

V. Fortè ita ut Pœnitens maneat obligatus illa iterum confiteri simul cum non reservatis Confessario inferiori?

S. Non: supposito enim quod fuerint ritè clavibus subjecta, cessat obligatio



ea reconfitendi : quemadmodum ex eadem ratione confessionis ritè factæ, non obligatur Pœnitens cum peccato ex obliuione inculpabili , vel alia justa de causa in præcedenti confessione omissò , & postea in sequenti confessio- ne manifestatō , etiam alia peccata priùs ritè confessa reconfiteri.

V. Ergo etiam quando Confessarius inferior absolvens à non reservatis remittit Pœnitentem pro reservatis ad Superiorem , non obligabitur Pœni- tens reconfiteri peccata non reserva- ta cum reservatis .

S. Non , utpotè ab illis directè jam ab- solutus : solum enim tenetur manife- stare illa à quibus directè debet absolvi qualia sunt reservata .

V. Sed occurrit dubium , an videlicet dum absolvit Superior à reservatis & inferior à non reservatis sint duo Sa- cramenta ?

S. Lego apud Suar. Tom. 4. Disp. 34. Sect. 1. O Bonac. Disp. 5 Q. 7. P. 5. §. 3. esse duo

P 4 Sa-

Sacmenta quia duæ sunt formaliter
absolutiones supra distinctas matérias,
adeoq; in primo gratiam, in secundo
verò augmentum gratiæ accipi. Nava-
rus autem *Disp. 5. de Pœnit. num. 12. c.*
18. censet esse quidem utramq; abso-
lutionem Sacmentalem, ast ex ultra-
que Confessione & absolutione unum
integrari Sacmentum, quemadmo-
dum ex pluribus unctionibus & for-
mis unum Extremæ unctionis Sacra-
mentum constituitur: hic autem ad-
vertunt quidam gravissimi DD. tutio-
rem, probabiliorem ac faciliorem mo-
dum esse, si Superior audiens reserva-
ta non absolvat, verùm cum omnibus
ritè confitēdis remittat ad inferiorem
dando authoritatem absolvendi etiam
à reservatis: similiter agat Confessari-
us inferior, quærendo facultatem à Su-
periore sive per se, sive per Pœnitentem,
ut postea possit simul ab omnibus
peccatis absolvere, vel remittat Pœni-
tentem non absolutum ad habentem

fa.



facultatem supra reservata, qui auditā integrā confessione, tam reservatorum quām non reservatorū absolvere possit
Suar. & alij.

V. Suppono autem quòd si quandoque contingere Confessionem dimidiari coram Superiore, cui Pœnitens confitetur peccata reservata, id fieri debeat ob causam aliquam urgentem:

S. Omnipotens: conformiter ad alibi dicta de Pœnitente confitente peccata reservata Confessario simplici; quare adverto non quamlibet occupationem Superiorum esse causam urgentem aut sufficientem ad dimidiationem, verū debere esse talem quæ deobliget ab integritate materiali confessionis.

V. Sit casus, quòd Pœnitens confessus peccata reservata Superiori, oliviscatur inculpabiliter alicujus casus reservati, postea autem ante Communio- nem recordatus illius, accedat simplicem Confessarium eiq; tale peccatum confiteatur, quæro an ab eo possit absolvī?

P. f.

S. Po-

S. Potest: jam enim sublata fuit reservatio per priorem confessionem: suppono enim quod Superior intendat absolvere quantum potest: præterea Superior absolvens intendit tollere quodcunq; obstaculum potens removere à gratia, adeoque intendit Pœnitentem absolvere à quocunq; reservato, quod posset obstaculum ponere in ordine ad consequendam gratiam: deniq; absolutio datur etiam juxta intentionem petentis, atqui petens absolutio intendit absolvi à quocunque reservato etiam oblieto, utpote desiderans (quantum fieri potest) liberari ab omni onere; ergo &c.

V. Occasione hujus responsi quero si Pœnitens habuit justam & legitimam causam tacendi aliquod peccatum reservatum coram Confessario habente autoritatem absolvendi, possit deinde ab illo peccato absolvi ab alio non habente autoritatem?

S. Potest: qui enim justam causam habuit



buit tacēdi peccatum reservatum coram habente Authoritatem absolvendi, perindē videtur, quasi illud confessus fuisset cùm cæteris: & ulterius ad verto ablatam esse reservationem per indirectam absolutionem à peccato ex legitima causa non manifestato, non secūs ac per indirectam absolutionem ab oblitis tollitur reservatio oblitorum, manet ergo solum obligatio illud clavibus subjiciendi, sed non reservatio. Sanch. lib. 8. de Matrim. Disp. 15 & lib. 4. in Sum. cap. 14. num. 37. Hombon. Tract. 5. examin. Ecclesiast. Q. 37. V. Supponebas suprà quòd Superior absolvens à reservatis intendat absolvere quantum potest, si autem haberet intentionem absolvendi à peccatis solum actu confessis, nonnè Pœnitens sive oblitus, sive justa de causa non manifestans aliquod reservatum deberet absolvi denuò ab alio authoritatem habente?

S. Ità est, si de tali intentione constaret,

P 6

ret,

ret, terminata solum ad delicta reser-
vata actu confessa.

V. Quid autem sentis de illo qui pre-
sentavit quidem se coram Superiore
seu habente ordinariam potestatem
absolvendi à reservatis, atque integrè
peccata reservata aperuit, nihilominus
invalidè seu sacrilegè confessus est.
S: Sentio reservationem esse ablatam
cùm Pœnitens se stiterit coram legiti-
mo Superiore eique delicta ab eodem
judicanda integrè aperuerit: cùm hoc
tamen observe sic sentiendum esse de
Pœnitente, qui confiteatur peccata re-
servata extrà tempus Jubilæi: nam
tempore Jubilæi non potest quis ab-
solvi à casibus reservatis virtute ipsius
Jubilæi, nisi confiteatur validè, quia
absolutio à reservatis eò tempore da-
tur ad consequendam gratiam; qua-
propter si Confessio fuerit Sacrilega &
invalida ex defectu integritatis vel at-
tritionis &c. non gaudebit Pœnitens
Privilegio absolutionis à reservatis,
imò



imo etiam si quispiam validè confiteatur simplici Confessario delictum reservatum cum non reservatis tempore Jubilæi, nisi habuerit intentionem lucrandi Jubilæum non poterit à peccato reservato absolvī, nam facultas absolvendi à casibus & censuris reservatis tempore Jubilæi datur in ordine ad lucrandum Jubilæum, & ideo ubi hæc intention cessat cessat, & facultas absolvendi.

U. Ergo si quispiam lucratus Jubilæum committeret denuò peccatum reservatum illudq; confiteretur secundâ septimanâ Jubilæi Confessario simplici absq; intentione iterum lucrandi Jubilæum, non posset absolvī à dicto peccato.

S. Vt Jubilæi absolvī non posset.

U. Occurrit dubium: an videlicet ille, qui extrâ tempus Jubilæi confessus est Superiori invalidè (cùm adæquata tamen manifestatione reservatorum) teneatur postea eadēm delicta confiteri

teri inferiori, fictionem aperire, & pœnitentiam impositam exequi?

S. Tenetur. *Cajet. in Sum. ver. cas. reser.*
Vasq. Tom. 4. q. 9. art. 3. dub. 5. debet
 namq; inferior sequi judicium Superioris, & obligare Pœnitentem ad injunctam sibi pœnitentiam implēdam.

V. Benè ergo concludetur quòd faciens confessionem invalidam si obli-

siceretur confiteri peccata reservata coram habéte autoritatem, non pos-

fit deinde eorum absolutionem à non habente autoritatem consequi.

S. Optimè: quia nec directè nec indi-

rectè ab illis absolutus fuisset, & do-

lus nemini debet patrocinari maximè in tanto Sacramento.

QUÆSTIO XXVI.

De Casibus reservatis Papæ, Episco-
pis, & etiam Superioribus Re-
gularium.

Vicar. **Q**ui sunt casus Papæ reser-
 vati?

S. Illi